De rarioribus quibusdam speciebus Phoridarum nuper in Austria inventis (Diptera)

cum 2 figuris

auctore

H. SCHMITZ S.J.

Postquam anno 1942 invitus e Neerlandia decessi et in Austriam me contuli, majorem otii mei partem per quattuor annos in investigandis ejus regionis Phoridis consumendo plura milia exemplorum et colligere et microscopio examinare potui, quae ad varias hujus numerosae familiae species pertinent vel bene notas vel raras vel nondum descriptas. Et novas quidem species plus quam 20 praeter unam alibi descripturus sum. Hic de iis potissimum agere liceat, quas aliis locis ad hoc usque tempus aut rarissime aut semel tantum inventas nunc denuo repertas esse et in Austria occurrere certe relatu dignum est, cum ea re non solum, si quod est dubium de valore specifico prototyporum olim descriptorum, id penitus tollatur, sed etiam notitia, quam de distributione geographica Phoridarum habemus, augeatur.

Subfamilia Phorinarum.

Chaetopleurophora pygidialis Schmitz. In opere cl. Erw. Lindner de dipteris regionis palaearcticae, Phoridae, p. 103 dixi hanc speciem tunc novam in N e e r l a n d i a tantum occurrere, ubi ejus etiam metamorphosim universam paulo post observare et in Natuurhistorisch Maandblad exponere potui. Sed hoc anno 1946 femina una in S t y r i a quoque capta est a cl. Dr. F r a n z in via quae ab Admont in montem Kalbling ducit, in altitudine 1000—1100 m.

Citrago disparinervis n. sp. (Fig 1). Genus *Citrago* usque adhuc in Europa monotypicum existimabatur omniaque exempla observata speciei typicae, *C. citreiformis* Th. B e c k. attribuebantur, quam raram esse expertus sum, quamvis a cl. Dr. W o o d in Herefordshire „fairly common, but local" appelletur. Vernum duas in Europa species distingui oportere usus ab aliquot annis me docuit. Hae inter se simillimae sunt, sed alarum nervis facile dignoscuntur. Comparanti imaginem photographicam *citreiformis* ♂ (Fig. 2) cum *disparinervi* ♂ (Fig. 1) ultro apparet in *citreiformi* nervum septimum, qui est omnium nervorum postremus, alae marginem attingere, in *disparinervi* vero (Fig. 1) ante marginem abbreviatum desinere. Cum hoc charactere obvio semper sociatus est alter, qui in nervo tertio observatur. Hunc in *disparinervi* videmus multo esse crassiorem et ad finem versus parum attenuari, in *citreiformi* vero inde

ab initio tenuiorem ab altera fere parte tertia paulatim sed moderate incrassari ad finem usque extremum. In figuris hic productis differt etiam nervi costalis in utraque specie partitio : in *citreiformi* pars costae prior et posterior sunt subaequales, in *disparinervi* prior est relative longior. Sed hoc discrimen non est adeo constans, ut usui esse possit. In aliis corporis partibus differentia notabilis non deprehenditur praeterquam in forcipibus hypopygiorum. ♀ non certe nota. Longitudo corporis 1,25—2 mm.



Fig. 1.
Citrago disparinervis n.sp. ♂, ala, microphot. × 50.

C. *disparinervis* ♂ mihi ab anno 1942 nota erat ex Bavaria duobus exemplis, quorum alterum Dr. O. Duda legerat apud Hinterstein in Alpibus Allgäu 24.VII 1925, alterum Dr. H. Fischer in Donauried Mertingen 11.VIII 1935. Ipse duo exempla collegi in vicinia pagi altissime siti Obergurgl (Ötztal, Tyrolia, + 2000 m) diebus 11 et 13 mensis VIII 1944. Quare speciem hanc locis editis et montanis Europae centralis concludi, planis vero magisque ad septemtriones spectantibus deesse conjeceris.

Triphleba Rond. Hujus generis varietate specierum et difficultatibus conspicui species complures rarae in diversis Austriae partibus denuo sunt inventae : *aequalis* Schmitz, 1 ♂ ad pagum Igls in radicibus montis Patscher-Kofl prope Oenipontem in Tyrolia + 900 m, 21.X.1943 ; *alpestris* Schmitz ♂, semel tantum antea reperta in Rhaetico, nunc altero exemplo ♂ a me lecta in Tyrolia apud Obergurgl in floribus umbelliferis + 2000 m, 9.VIII 1944 ; *aptina* Schiner ♀, species ad hunc diem extra cavernas numquam visa, nunc ter quaterve apertis ac propatulis locis subalpinis a cl. Dr. H. Franz deprehensa in Styria (Gesäuse) ; *brumalis* Schmitz, hiberno tempore apud Styram, Austriae superioris civitatem in carnibus morticinis non rara (♀♀); *flexipalpis* Schmitz, antea ex collectione Winnertz tribus ♂♂ nota, qui Massiliae in Gallia meridionali lecti erant, nunc 5 utriusque sexus exemplis a me capta in vicinia Styrae (Austr. sup.) mense Octobri 1944 et '45, metamorphosis quoque observata : feminae enim carne morticina alliciumtur facilesque sunt

ad educandum ; *forfex* Schmitz, duobus tantum maribus antehac nota e Germania oriundis, nunc iterum capta semel a cl. Dr. H. Franz in confinio Austriae superrioris et Styriae; *hentrichi* Schmitz, nonnullis utriusque sexus exemplis apud Kalksburg prope Vindobonam e me et extra Austriam inferiorem a Dr. Franz etiam in superiore observata; *hypopygialis* Schmitz, tribus antehac exemplis maribus totidem locorum diversorum nota, apud Styram Austriae superioris




Fig. 2.
Citrago citreiformis Th. Becker ♂, ala, microphot. × 34.

mensibus Octobri et Novembri non rare in carnibus morticinis, in copula quoque a me deprehensa, id quod omne dubium de valore proprio hujus speciei e medio tollit, cum feminae a feminis *Triphlebae bicornutae* Strobl aperte differant, quamquam mares aegre distinguuntur ; *inaequalis* Schmitz, 1 ♂ in Hungerburg (+ 900) prope Oenipontem in Tyrolia; denique *renidens* Schmitz ♀, quae femina semel tantum in *Fennia* observata erat, nunc altero exemplo a cl. Dr. H. Franz capta in Styria 1945. Accedit species una nova.

Diploneura freyi Schmitz ♂. Primum capta a cl. Dr. Frey in Fennia, iterumque a Dr. Speiser in Borussia prope dicta orientali apud pagum Gross-Raum. Marem unum irretivi in vicinia pagi Garsten prope Styram in Austria sup., 13.IX 1944. Non est igitur propria regionum borealium.

Diploneura unisetalis Schmitz, quae non est nota nisi et Austria superiore, in ea provincia identidem a me lecta est. Nonnulla utriusque sexus exempla in vicinia pagorum Garsten, Pergern, Aschach ad Styram flumen, mensibus Majo usque ad extremum Julium annis 1943—45. Uni ex ♂♂ spina illa anterodorsalis femoris tertii deest, a qua species nomen ducit, id quod determinationem reddit subdifficilem. Accedit generis *Diploneurae* s. str. species una nova.

Diploneura (Dohrniphora) cornuta Bigot. 1 ♂ reti captus in vicinia pagi Aschach ad Styram flumen in Austria sup., 30.VII 1945. Mirum est feminam ad hunc diem numquam in Europa esse observatam, quae parum circumvolare videtur.

Billotia inermis Schmitz. Genus et speciem typicam anno 1944 descripsi in periodico Natuurhistorisch Maandblad, exemplis usus utriusque sexus, quae Kalksburgi prope Vindobonam in nemore collegii manu consito irretiveram. Postea denuo 4 ♀♀ inveni eodem loco Austriae inferioris, sed alibi nullas.

Conicera schnittmanni Schmitz. 4 ♂♂ hujus speciei, quae non facile a *C. floricola* Schmitz discernitur, in Austria superiore inveni prope civitatem Styram et pagum vicinum Garsten. Hypopygiorum maceratione de recta determinatione omnium horum exemplorum certo constat. Adverti numerum exiguorum stilorum sensitivorum in extremo forcipe sinistro varium esse. Sunt fere tres numero, rarius 2 vel 4, in speciebus propinquis semper numero multo majore. Brevitas nervi costalis in originali descriptione praedicata non est semper adeo conspicua et ad 0.36 pertingere potest.

Conicera pauxilla Schmitz in duas species dividenda est, quarum alterutra est nova. At utra sit nova, certo dijudicari nequit, donec comparentur prototypi Limburgenses *Conicerae pauxillae* collectionis meae, quos nunc, quod dolendum est, prae manibus non habeo. Inter se distinguuntur variis proprietatibus, quae in longitudine antennarum (♂) et in omnibus tribus pedum paribus, exempli gratia in forma organi scolopalis femorum medii paris (♂) conspiciuntur. Veri simile est speciem longioribus antennis et organo scolopali paulo ampliore ejusque processu digitiformi magis prominenti praeditam esse novam. Hanc et legi et educavi in Austria inferiore (Hundsheim prope Hainburg ad Danubium 28.X 1942, Kalksburg prope Vindobonam 13.V 1943) et superiore (Steyr, 6.VII 1944).

Phora hyperborea Schmitz, antehac nota ex Fennia et Silesiae montibus, a cl. Dr. H. Franz lecta est semel in Tyrolia (Gschnitztal, ♂).

Phora hamata Schmitz, nota tantum ex Palatino Germaniae et Austria inferiore, ab eodem investigatore inventa anno 1945 in Austria sup. (Sengsengebirge).

Phora velutina Meigen (syn. *batava* Schmitz, non *velutina* Becker et auct.) Praeter holotypum Meigeni (Stolberg prope Aquisgranum in Rhenania) et exempla pauca provinciae Limburgensis in Neerlandia mihi nullum notum erat praeter unum ♂ Silesiacum minus typicum propter tarsos anteriores minus dilatatos. Nunc alterum exemplum ♂ ejusmodi habeo in Austria superiore prope pagum Pergern ad Styram flumen captum. Utrumque speciei cuidam diversae ac novae attribui oportere suspicio est. Sed res decidi sine collectione mea nequit. Praeter hanc dubiam accedit una sp. nova (♂) Austriae superioris.

Subfamilia Aenigmatiinarum.

Aenigmatias Meinert. 1 ♂ speciei novae a Dr. H. Franz feliciter inventus in subalpina regione Carinthiae in vicinia pagi

Heiligenblut in latere australi montis Sonnblick (Kleine Fleiss, Hohe Tauern).

Subfamilia Metopininarum.

Woodiphora retroversa W o o d, quae in A n g l i a raro, a me in in D a n i a semel, in provincia Limburgensi N e e r l a n d i a e saepius capta soli frigidioris propria videbatur, tamen illis finibus non continetur; nam semel (♂) in A u s t r i a s u p e r i o r e in eam incidi prope Styram civitatem 24.VII. 1944.

Gymnophora integralis S c h m. Hanc speciem virili sexu *G. arcuatae* M e i g. simillimam ac difficulter discernendam montanas regiones praeferre observationibus A u s t r i a e i n f e r i o r i s (Kalksburg) et s u p e r i o r i s confirmatur. Maturius quam *arcuata* apparet tempore verno et alteram generationem habet autumnalem. Marem nunc tandem a *G. arcuata* ♂ distinguere didici maceratis hypopygiis. Processus enim ille mire contortus, quem in opere cl. Lindner supra citata p. 35 fig. 30 delineatum litera f indicavi, *arcuatae* solius proprius est longeque aliam in *integrali* ♂ prae se fert formam. Major est et planus, apice rotundato, non praeacuto. In reliquis duabus Europae speciebus idem est valde imminutus et ad exiguum tuberculum redactus.

Genus *Megaselia* R o n d., speciebus mirum in modum abundans. licet etiam in Austria plurimis formis occurrat, eam tamen distributionem geographicam habere videtur, ut ne eas quidem species, quae alibi non sunt adeo rarae, hoc quadriennio in Austria omnes invenerim. Non quod credam has universas istis locis omnino deesse, at certe rariores aliquas ex iis hic esse putem, quam sunt in Europa occidentali. Verum hanc rem interpretando persequi longum est; de valde raris quibusdam speciebus nunc denuo inventis referam.

Megaselia (*Aphiochaeta*) *armata* W o o d (partim, S c h m.) bis tantum antehac capta in A n g l i a et G e r m a n i a, nunc uno ♂ iterum a me irretita ad Pressbaum in silva Vindobonensi A u s t r. i n f. 6.VI 1943.

M. (*Aph.*) *groenlandica* L u n d b., quam in summis Alpibus exspectari oportebat, nunc tandem multis exemplis inventa est a cl. Dr. H. Fr a n z in Kleine Sölk (Niedere Tauern) in S t y r i a. Praeclarum exemplum istud est distributionis ejus quae borealisalpina vocatur, cum praeter Alpes tantum G r o e n l a n d i a, S c o t i a e montes, L a p p o n i a f e n n i c a, Alta Tatra in H u n g a r i a hac specie incolantur.

M. (Aph.) nigripes S t r o b l partim, S c h m.), species item pure alpina et *groenlandicae* affinis, ab eodem cl. viro simul cum praecedente in S t y r i a reperta (♂ ♂). 2 ♀ ♀ ipse anno 1944 in altissimis supra Obergurgl montibus T y r o l i a e juxta molem glacialem (Gurgler Ferner) fere e regione illius celeberrimi loci, quo cl. Prof. Piccard anno 1931 e stratosphaera descendens appulit, flores humil-

limos (caespitantes, forte *Saxifraga* sp) percurrentes ope exhaustoris cepi, +2500—2600 m. Feminae harum duarum specierum similiter ac mares eo inter se distinguuntur, quod *groenlandica* ♀ metatarsum primi paris pedum habet breviorem, *nigripes* ♀ longiorem.

M. (*Aph.*) *valvata* Schm., subalpina et alpina, in Tyrolia in valle Stubai et apud Obergurgl communis, etiam in Styria (Niedere Tauern) a Dr. Franz reperta.

M. (*Aph.*) *trichorrhoea* Schm. ex una Tyrolia antehac relata, etiam in Austria sup. et inf. in locis Alpibus propioribus reperitur.

M. (*Aph.*) *magnifica* Lundb. in Dania primum, post a cl. Dr. Speiser in Borussia inventa, in silva Vindobonensi semel capta (♂ ♀) 6.VI 1943 (Austr. inf.)

M. (*Aph.*) *deltomera* Schm. cujus solus ad hunc diem notus erat holotypus ♂ e Croatia oriundus, 13.X 1944 denuo inventa in dumetis flumen Styram non longe a civitate comitantibus (Austr. sup.)

M. (*Aph.*) *annulipes* Schm., raro in Austria inf. et superiore (Kalksburg, Steyr) veris potissimum tempore invenitur.

M. (*Aph.*) *atrosericea* Schm., in Alpibus praeter opinionem rara, nuper semel a cl. Dr. Franz in Styria reperta (Bösensteingruppe, Niedere Tauern).

M. (*Aph.*) *piliventris* Schm., ex Hispania et regione finitima Galliae meridionalis (Hendaye) nota, in Austria est potius species alpina. A. Dr. Franz in Styria (Niedere Tauern), a me in Tyrolia prope Obergurgl (+ 1950 m) saepius capta.

M. (*Aph.*) *spinata* Wood, rarissima species in Anglia detecta, a me bis in Austria inferiore ad Kalksburg capta (♂) 21. et 24.VI 1943.

M. (*Aph.*) *sericata* Schm., cujus solus holotypus antehac notus erat, nunc altero exemplo masculo capta in Austria inferiore ad Kalksburg prope Vindobonam 16.IV 1943 (♂).

M. (*Aph.*) *ignobilis* Schm., quam in provincia Limburgensi Neerlandia detectam postea in coll. King e Scotia vidi, in Austria sup. apud Styram non est rara.

Megaselia (*Megaselia*) *albicans* Wood, species bona a cl. Lundbeck immerito addubitata, etiam in Austr. superiore occurrit, sed raro. Bis a me lecta apud Styram civitatem in monte Damberg 30.IV et silva Münichholz 19.V.1946.

M. (*s. str.*) *rivalis* Wood, a cl. Dr. Franz in stercoribus, quae diu deferbuerant, 1 ♂ 3 ♀ ♀ inventa, quo loco Austria superior et Styria inter se contingunt, + 1400 m.

M. (*s. str.*) *incongruens* Schm. Species olim a cl. Dr. Speiser in Pommerania in fenestra cursitans inventa, nec umquam postea ullo loco, ita ut paene desperare coeperim eam denuo inven-

tum iri. Nunc in Austria sup. apud Ternberg et alibi nonnullis exemplis reti capta, simulque a Dr. Speiser in Borussia inventa.

M. (s. str.) testacea Schm. Holotypum solum mihi notum in Hibernia 1937 captum eo tempore cunctabundus descripsi (♂). Esse speciem bonam et a *M. lutea* Meig. vere distinctam nunc ♂ et ♀ confirmant in Austria inferiore (Kalksburg, 13.V. 1943) et superiore (Pergern, 10.VI 1944) capta.

M. (s. str.) norica Schm., alpina, e Tyrolia nota. Praeterquam quod eandam non longe ab originali loco (Vent) in propinqua valle Ötztal in Tyrolia cepi, observata quoque est nonnullis exemplis in ove motticina verno tempore in Styriae monte altissimo Gr. Pyhrgas + 2300 m, et Haller Mauern (♂ ♀) a cl. Dr. H. Franz.

M. (s. str.) longicostalis Wood, species antehac in regionibus magis ad septemtriones vergentibus aliquoties observata, ne ab Alpibus quidem aliena est. Testis est exemplum a cl. Dr. Franz in stercore bovino congelato in Styria inventum (Haller Mauern, Gstattmaier Alm, + 900 m).

M. (s. str.) mortenseni Lundb., semel irretita in descensu a monte Hohe Dirn (+ 1150 m) in Austria superiore.

Accedunt complures generis *Megaseliae* species novae.

Genus *Plastophora* Brues. Species hujus generis, quamvis excepta *P. rufa* Wood minime vulgares sint, omnes tamen a me colligi potuere ex Europa descriptae : *aristica* Schm. 21.IV 1945 prope Aschach ad Styram flumen in Austr. superiore; *elongata* Wood 4.VI 1945 ibidem ; *spinigera* Wood 15.V.1945 ibidem ; *pungens* Lundb. 15.IV.1946 ad Pergern Austr. sup; *brevicornis* Schm. 19.IV.1943 ad Kalksburg Austr. inf.; *styloprocta* Schm. satis multis exemplis ac locis Austr. sup. annis 1943—46, variis diebus a 16.IV usque ad 12.VI, sed mense Aprili frequentius ; in Austria sup. ad Kalksburg 1943 diebus 14, 15, 17, 19 IV 1943 ; *rufa* Wood passim in utraque Austria a mense IV ad VII, sed Majo longe frequentius.

Veruanus oldenbergi Schm. 4 ♀♀ in hortis collegii Kalksburg, Austr. inf. 18.V, 21 et 29.VI 1943—44. ♂ cum me fugerit, quod doleo, ignotus etiamnunc manet.

Metopina heselhausi Schm. 9 ♂♂ diebus 10, 15, 18—20, 29 Julii 1944 et 45 rete super acervo composito stercoribus et reliquiis variis versando cepi in horto quodam Styrae civitatis Austr. sup. Species nota ex Neerlandia et insulis Azoris.

Metopina crassinervis Schm. semel tantum capta antehac apud Baaksem in Neerlandia, nunc iterum reperta apud Kalksburg in Austr. inferiore 24.VI.1943, ♂ unus. Femur tertii paris pedum hujus speciei organo illo solito sensitivo ab interiore parte carere praeter expectationem inveni.

Styrae, die 14 m. Augusti 1946.